

osi intercessores pro eo venimus. Ingentes enim illi spiritus animique effreni paulum^f resedere, cervix illa contumax, fastus intolerabilis non nichil detumere. Spes denique subluceat satis grata, quam non tam inhumanitate nostra extinguere quam caritate et benivolentia excitari et fovendi optamus. Nos enim natura misericordes, persona officii severos, crudeles nec natura nec persona esse voluit. Quamobrem unicis modis vobis supplicamus, ut anteriorem illum indulgentiæ vestræ sinum nostra intercessione aperire sibi dignemini et huius culpæ memoriam perpetua oblivione dampnatam obliteratamque velitis. Forsitan et hic ipse lapsus vigilantiam ei in futurum cautelamque peperit, firmiore quippe gradu locum amissum, si recuperet^g, tueri^h. Obsecramus etiam, ut beneficia sua, quæ ei pia providentia subalienando dementissimumⁱ eius inceptum^k prudenter plane exarmastis, nunc demum ei absolute reddere et integre resignare non gravemini. Non latet^l vestram prudentiam, quanta hominum malicia et dolus ubique redundet, quam perperam soleant pie acta interpretari, quam angusta occasione invidia dentem inprimat. Unde rogamus, ut ita libere, ita publice, ita sine scrupulo^m omnia sibi per vestram munificentiam restituantur, ne in hac vestri castigatione ullum preiudicium rerum suarum tulisse cuiquam in posterum videri possit. Cumulatori prece nec vestram gravitatem nec nostrum pudorem onerare placet, illa hautⁿ dubie animanti fiducia omnia vos impensius liberaliusque executurum, quam nostra sperare ausit verecundia. Gratia domini nostri Iesu Christi sanctitatem vestram in omnibus et per omnia gubernet.

7.

Bischof G(unther von Bamberg) an Erzbischof A(nno von Köln): sendet Nachrichten vom Goslarer Fürstentag, warnt vor falschen Gerüchten und mahnt ihn, sich die Regentschaft nicht nehmen zu lassen und seine Pläne auszuführen.

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 48.

(1063 Januar.)

Domno archipresuli A. G. licet indignus episcopus quicquid homini ab homine prestari potest^a melius.

6. f) korr. in paululum c. g) korr. aus recuperes c. h) korr. aus tueare, über der Zeile curabit c. i) clementissimum c. k) inceptū c.
 l) korr. aus ivit c. m) korr. aus scrupulo c. n) haut illa mit Umstellungszeichen c.

7. a) korr. aus potem o. ä. c.